



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. LIX. Vtrùm Epiikia locum habeat in dubiis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

non esse absolute sufficientem. Ceterum, privilegium aliquando quidem supponit obligationem in non privilegiatis, sed non semper eam supponit; quia dari potest ad scrupulos arcendos. Saep enim homines scrupulose timent, an causa sit vere sufficiens, qualis apparet; ad tales autem scrupulos sedandos congruum fuit, dari privilegium superioribus ad liberandos subditos a tali vexatione, & ad illos certificandos, quod liberi sint, saltem ex vi privilegii ipsis concessi. Itaque hinc est, quod Auctores communiter doceant, privilegium concessum non semper supponere obligationem; quasi vero certum sit, quod obligatio vigeret, si privilegium abesset. Demum quod affertur ex S. Thoma non urget, quia dictum S. Thomae intelligi debet, quando finis legis solum cessat in aliquo particulari; hoc enim non obstante, singularis ille homo obligatur lege, nec sine dispensatione liberatur ejus onere. At quando finis & ratio legis cessat generaliter, cessat etiam lex, ut docent Auctores, qui ex professo doctrinam de legibus tradunt.

vius juxta exigentiam materiae. Hoc ex eo patet, quod superiores facilius, & ob minora incommoda dispensent in una, quam in alia. Ergo minora incommoda sufficientia ad dispensationem rationabilem in una, quam in alia lege. Ergo si militer minora incommoda sufficientia ad penitus evacuandam obligationem unius, quam alterius; in quo Theologi etiam conveniunt. Ergo quantitas incommodi excusantis non est una eademque in omnibus legibus, sed aliquam variationem subit.

Porro ad tractatum de materiis particularibus pertinet determinare, quae sit quantitas incommodi excusantis ab observatione legum, materiae illas praecipientium. Illud solum dici potest in genere, quod quantitas illa colligenda sit ex natura rei praecipuae, ex doctorum explicatione, atque ex praxi sensuque subditorum. Ex his enim optimè colligitur intentio legislatoris, & rectè determinatur, quod per unam legem obligare voluit ad majus incommodum subendum, quam per aliam.

ASSERTIO IX.

Quantitas incommodi excusantis ab observatione legum, non est una eademque in omnibus legibus, sed aliquam varietatem subit, quam sub generalitate aliqua explicandam assumo.

Quantitas incommodi excusantis ab observatione legum non est una eademque in omnibus legibus, sed aliquam varietatem subit, quam sub generalitate aliqua explicandam assumo.

36. PROBATUR. Leges positivae, ut bene arguit Brefferus lib. 4. cap. 17. num. 185. non obligant aequaliter, sed una gravius, una le-

QUAESTIO QUINQUAGESIMA- NONA.

Vtrum Epiikia locum habeat in dubiis?

Ratio quaestio- nis in- stituta.

1. **Q**UAESTIO haec consecutanea est ad praecedentem, a qua magna ex parte dependet. De hac quaestione agit Celladeus lib. 4. quaest. 16. ubi contendit, Epiikiam locum non habere, nisi quando tutius est agere contra verba legis, quam juxta illa operari. Inde autem infert, omnes eos errare, qui putant, Epiikiam tunc intervenire, quando vel ob difficultatem intervenientem, vel praesumptam superioris voluntatem, aut aliam interpretationem leges non servantur; plerumque enim in istis casibus constat, eum, qui legem non servat, sectari partem minus tutam, ac proinde constat, etiam eum ex Epiikia non operari. Haec & hujusmodi plura habet in ista quaestione, in quibus a vero non parum desecit, ut ex sequentibus assertionibus patebit.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare propriam essentiam Epiikia.

2. **E**PIIKIA, seu *ἐπιικήσια*, est vox Graeca; derivatur ab *ἐπι*, quod significat supra, & *ἰκός*, quod significat aequum, consentaneum, ac decens; adeo ut *ἐπιικήσια* idem sit quod latine excellens quaedam aequitas. Aristoteles agit de Epiikia, seu aequitate 1. Rhet. cap. 13. & postissime 5. Eth. cap. 14. ubi dicit, Epiikiam esse meliorem quandam ac sublimiorem justitiam, utpote quae non ex legibus, sed ex aequo & bono regulam sumit, & quid sit agendum determinat. Rursus lib. 6. cap. 11. definit Epiikiam esse rectum judicium aequi & boni. Et sine dubio Epiikia propriissime accipitur pro dictamine intellectus, ideoque Aristoteles eam recensuit inter partes Prudentiae, & *Γνώμην* appellavit. Ceterum aequum & bonum

ASSERTIO II.

Epiikia non habet locum in lege naturali aut divina, sed tantum in lege humana, si lex sumatur, prout se tenet ex parte legislatoris. At aliqua, sed non omnis lex divina, & naturalis admittit Epiikiam, si leges sumantur prout promulgatae, seu prout a nobis apprehendantur, & intelliguntur.

5. **P**ROBATUR prima pars. Epiikia est emendatio, & correctio legis, quae ob universale exorbitat, & peccat. At lex divina, prout se tenet ex parte Dei legem ferentis, nec exorbitat, nec peccat: ergo lex divina, taliter accepta, non est capax emendationis, aut correctionis. Ratio est, quia Deus perfectissimè novit omnes omnino circumstantias, in quibus actiones humanae versaturae sunt, aut versari possunt. Vel ergo praecipuum extenditur ad omnes omnino circumstantias, in quibus actio versari potest, vel ad aliquas tantum restringitur: si ad omnes extenditur, in omnibus obediendum erit, nec locus erit correctioni: si autem restringatur ad aliquas tantum, lex illa, prout est in mente Dei, non est prorsus universalis, sed limitata & restricta. At prout restricta est ad tales circumstantias, nullam patitur exceptionem aut correctionem, ergo nulla lex divina, prout se tenet ex parte Dei, legem ferentis, capax est Epiikiae.

Lex Divina prout se tenet ex parte legislatoris non est capax Epiikiae.

6. E contra se res habet in lege humana; quia humanus legislator ob imperfectionem sui intellectus non potest in particulari praevidere, & cognoscere omnes circumstantias, in quibus actio versari potest: unde sub notione confusa & generali concipit legem, quae revera juxta expressionem, in mente legislatoris conceptam, complectitur circumstantias, ad quas si legislator explicitè attendisset, non sub hac sed sub alia expressione legem tulisset. Atque hinc est, quod leges humanae, etiam prout sunt in mente legislatoris, aliquo modo peccent, & exorbitent; & consequenter per aequum & bonum corrigendae sint. Dixi, aliquo modo peccent, &c. quia prout sunt in mente sapientis legislatoris simpliciter non peccant. Ratio est, quia prudens legislator in universali benè noscit defectus plures interventuros in particulari, quos ipse in particulari nunc non praevidet; ideoque non habet animum absolute obligandi in omnibus circumstantiis, quae hic & nunc sub mentis suae expressione comprehenduntur, sed expressionem illam per aequum corrigendam relinquit. Itaque lex, utpotè quae actum intellectus & voluntatis indivisim involvit, simpliciter & absolute non peccat, quamdiu voluntas legislatoris non exorbitat, & peccat. At illa bona est, & nulla correctione indiget.

Lex humana ut est in mente legislatoris saepe capax est Epiikiae.

7. Et hoc est quod Aristoteles supra dixit, legem esse rectam, quamvis peccatum illius non ignoratur; quia intentio legislatoris, quae est anima legis, solum fertur in id, quod plerumque accidit, quamvis, ob defectum cognitionis perfectae, hanc suam intentionem sub notione nimis universali exprimat; & ideo dicit peccatum non esse neque in lege, neque in legislatore, sed solum in ipsa re, quae ex necessitate quadam sub terminis universalibus explicari debuit. Sumpta autem secundum illam universalitatem exorbitat, seu

Nec legislator, nec lex simpliciter peccat, quavis verba legis exorbitent, & peccent.

& bonum hoc loco accipitur, prout est rectum quoddam non praescriptum à lege, sed per quod lex corrigitur, & emendatur; actio ut Epiikia aliud non sit, quam iudicium, per quod leges corriguntur & emendantur, ut fuscè tradit Arist. 5. Eth. c. 13. & post eum S. Thomas 2. 2. quaest. 120. art. 1. in corpore, quos alii sequuntur.

3. Audiatur in primis Aristoteles dicto cap. 14. ubi haec habet. In quibus enim necesse est, ut in universum dicatur, rectè autem id non potest, lex id sumit quod ut plurimum fit, non ignorans sanè quoddam peccatum. Et nihilominus tamen rectè sese habet: quippe cum peccatum in lege minime sit, neque in legislatore, sed in rei ipsius natura consistat. Statim enim rerum agendarum materia ejusmodi est. Quando igitur lex in universum dixerit, & praeter universale postea quidquam contigerit: tunc rectè se habet, si quae legislator omisit, absoluteque & simpliciter, loquendo peccavit, corrigatur defectus: id quod legislator etiam ipse, si adesse, dixisset; & si scripsisset, ita praescribentem legem instituisset. Idcirco jus quidem est, & melius quodam jure, non eo tamen quod absolute est, & simpliciter, sed eo quod absolute loquendo peccat. Estque ea aequi & boni natura, ut legis, qua parte deficit ob universale, emendatio sit. Haec Arist.

4. Audiatur etiam S. Thomas 2. 2. quaest. 120. art. 1. corpore, ubi praclare explicat, quae ex Philosopho attulimus. Quia, inquit, humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingunt, quae infinitis modis variari possunt, non fuit possibile, aliquam regulam legi institui, quae in nullo casu deficeret. Sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus casibus servare est contra aequalitatem justitiae, & contra commune bonum, quod lex intendit. Sicut lex instituit, quoddam deposita redantur, quia hoc, ut in pluribus, justum est; contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium, & eum reposcat, dum est in furia: vel si aliquis deposcat depositum ad patriae impugnationem. In his ergo & similibus casibus malum est sequi legem positam. Bonum autem est, praetermissis verbis legis, sequi id, quod poscit justitia ratio, & communis utilitas. Et ad hoc ordinatur Epiikia, quae apud nos dicitur Aequitas. Ex hisce habemus propriam Epiikiae naturam in eo consistere, quod sit iudicium, quo intellectus ex aequo & bono emendat defectum legis, & dicat verba legis non esse hic & nunc servanda, sed potius faciendum esse, quod legislator, si adesse, & circumstantias praesentes inspiceret, fieri vellet. Et haec quidem est natura Epiikiae, si sumatur pro examine intellectus; est enim particularis prudentia, qua intellectus dicitur legem, alias universalem, hic & nunc ob aliquam peculiarem rationem non esse servandam. Ceterum si Epiikia sumatur, sicut sumi potest, pro actu voluntatis, seu pro volitione id exequendi quod intellectus proponit, spectat ad varias virtutes juxta naturam materiae quae fit, & motivi ob quod fit.

Epiikia est correctio legis propter verba universalialia exorbitantia.

seu peccat, quia comprehendit ea, & quæ intentio legislatoris non extenditur. Itaque lex ex una parte est & dicitur recta, ob rectam & minimè corrigendam intentionem legislatoris; & ex altera parte ratione expressionis peccat, & deficit ab æquo, ob nimiam universalitatem. Peccatum ergò non est in lege formaliter sumpta, seu qua parte lex obligat; & ideo tam legislator, quam lex simpliciter dicta non peccat, quia ut peccatum tribui posset alterutri, intentio legislatoris deberet à recto deviare. Eadem tamen lex materialiter sumpta peccat, quia pro materiali dicitur expressionem, quam legislator habet in mente, quæ est nimis universalis. Hæc doctrina Philosophi planè coincidit cum ratione à nobis allata, quia intentio legislatoris, seu voluntas obligans semper est recta, nec ulla indiget correctione. At actus intellectus, per quem concipit legem & fertur in materiam præcepti, exorbitat, quia est nimis universalis, & propterea subjacet correctioni, & corrigi debet, quatenus peccat, seu deficit ex illa parte, qui tamen defectus seu peccatum non est defectus, & peccatum simpliciter ex parte legis, quæ lex est, seu qua obligat; sed solum secundum quid. Ecce illa ipsa ratio, quæ probat, legem humanam, prout est in mente legislatoris, esse capacem emendationis & correctionis, evincit legem divinam talis correctionis esse incapacem, quia intellectus divinus legem dictans ad nil prorsus extenditur, ad quod ejusdem voluntas strictè non obligat. Proinde nulla lex Divina ullius exceptionis, aut correctionis capax est, quia in nullo ab æquo & recto exorbitat, sive spectes actum intellectus dictantem, sive actum voluntatis obligantem. Itaque sola lex humana, prout existit in mente legislatoris, Epiikiam admittit.

Lex Divina, ut à nobis intellecta, capax est Epiikiaz.

8. Probatur secunda pars, quæ videtur esse contra Celladeum. Leges divinæ, tam naturales quam positivæ, promulgantur & explicantur nobis per terminos universales, qui aliquando extenduntur ad plures circumstantias, quam mens & voluntas Dei legislatoris. Sic conjux tenetur consorti debitum reddere. Hæc lex universaliter intellecta exorbitat; quia in multis casibus à reddendo debito excusatur, ut constat. Idem valet in exemplis à S. Thoma supra allatis. Ergò lex etiam Divina, prout nobis explicata, & prout à nobis intellecta, non minùs deficit ob universale, quam lex humana. Ergò utraque ex æquo debet corrigi, quia quod deficit, quæ deficit, emendari debet. Nec hoc ullo modo in dedecus Dei cedit, quia defectus iste non tribuitur Deo, aut legi, prout illa in mente ac voluntate Dei existit, sed solum nobis, qui ob nostram imperfectionem non sumus dispositi ad intelligendam legem Dei, quæ secundum se ad peculiare circumstantias restringitur, nisi per conceptum nimis universalem, qui propterea ab æquo exorbitat, & per æquum corrigi debet. Nec tamen hoc locum habet in omni prorsus lege, quia sunt plures leges prorsus universales, quæ nullam omnino exceptionem patiuntur. Talis est lex non odiendi, non blasphemandi Deum, non operandi contra conscientiam; & universim omnes, quæ prohibent objecta ita intrinsecè mala, ut per nullam circumstantiam honestari possint. Quia in his lex existens in mente Dei complectitur omnia prorsus, ad quæ eadem in mente nostra extenditur.

9. Hinc Celladeus immeritò carpit Cordu-

bam, aliosque, quòd Epiikiam admittant in lege Divina; quia eodem jure reprehendere possunt. S. Thomam, qui expressè tractans hanc materiam, rationem suam quibusdam exemplis confirmat, in quibus Epiikia locum indubitatum habet: illa autem exempla ex materia legis Divinæ ac naturalis desumpta sunt, quia depositum lege naturæ reddendum est; & tamen in casibus à S. Thoma allatis non est reddendum, sed expressio universalis, sub qua lex naturalis à nobis apprehenditur, corrigenda est, & per Epiikiam limitanda. Est quidem nefas dicere, nos aliquam Dei legem emendare, si lex illa accipitur prout est in mente Dei, seu prout ad ea accipitur prout naturæ, quæ mens divina complectitur. At non nefas, sed æquum, & excellens æquum est, expressiones nostras nimis universales, quibus legem Dei intelligere ac exprimere solemus, corrigere ac emendare, quod fit per Epiikiam. Porro si Celladeus ad hanc distinctionem attendisset, fortasse Cordubam non reprehendisset, sed eximasset eum loqui juxta secundam partem hujus assertionis. Cæterum per hanc assertionem facile conciliantur Authores circa præsentem materiam; nam qui negant Epiikiam locum habere in lege Divina ac naturali, intelligendi sunt juxta primam partem assertionis; qui verò eam admittunt in lege Divina, in sensu secundæ partis ejusdem assertionis loqui censendi sunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

10. **O**BJICIES primò, Epiikia, & legis emendatio tunc propriè dicitur, cum defectus legis particularis sunt præter mentem ac voluntatem legislatoris, nec ipso legislatore auctore. Unde nec in humanis est Epiikia legem universalem per particularem dirigere, & emendare, quia totum hoc est opus ipsius legis & legislatoris non æqui & boni. At nulla emendatio legis Divinæ contingere potest præter mentem & voluntatem Dei, sed fit, ipso auctore, & dirigente per legem vel eternam, vel internam. Itaque nulla contingit emendatio legis Divinæ naturalis, quæ fit contra vel præter totam legem naturalem; quia ipsa emendatio præscribitur à lege naturæ. Ergò Epiikia propriè non habet locum in illa lege Divina. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo in primis, quæstionem hanc, juxta rationem objectionis intellectam, evadere posse quæstionem de nomine, quia nos omnem legis correctionem, quæ fit per æquum & bonum naturaliter nobis insitum, vocamus Epiikiam, quamvis illa sit à Deo tanquam ab auctore illam volente & dirigente; in quo loquimur cum D. Thoma, qui non alia Epiikiaz exempla tulit, quam ea, in quibus lex naturæ per aliam legem naturæ corrigitur, & limitatur. Alii verò non omnem correctionem, sed illam solum, quæ fit absque legislatoris voluntate & directione, Epiikiam nominant. Porro si correctio admittatur æquè in uno casu, ac in alio, totum intentum habetur quoad rem ipsam, & parum interest, utrum illa correctio vocetur Epiikia, nec ne.

11. Respondeo secundò, doctrinam objectionis evertere omnem prorsus Epiikiam; quia nulla est lex humana, quæ etiam non sit à Deo approbata, non solum, quia Deus universaliter justit nos obedire præpositis nostris, eorumque mandata servare; sed etiam, quia lex humana totam vim obligandi in conscientia habet à Divina voluntate illam approbante. Ergò in omni

lege, etiam humana, potissimum quod in illa est, est voluntas Divina illam approbans, & ad obedientiam obligans. Ergo nulla legis interpretatio est proprie Epikia, quia omnis interpretatio est à Deo, qui est præcipuus auctor omnis legis & solus auctor omnis veræ ac strictæ obligationis in conscientia.

Correctio legis exorbitantis semper est Epikia, quamvis fiat ex lege, vel præscripto legislatoris.

12. Confirmatur. Si vera esset hæc doctrina, tolleretur Epikia etiam in lege humana; prudentes enim legislatores optime norunt, universales suas expressiones esse absurdas, nisi emendantur; & consequenter volunt suas leges corrigi, quando occasio tulerit. Itaque correctio legum non fit contra, nec præter, sed juxta eorum voluntatem atque intentionem. Et quidem quamvis in universali præscriberent correctionem esse faciendam, hoc non tolleretur Epikiam, sed eam potius imperaret, ut patet. Unde in contrarium argumenti, sic arguo. Non tollitur Epikia per hoc, quod lex particularis corrigatur per generalem legem præscribentem correctionem, ubi lex exorbitat. Ergo neque tollitur quando lex particularis corrigit universalem. Ratio est, quia leges istæ solum præcipiunt id, quod antea jure naturæ præceptum erat, & fieri debuisset, quamvis leges istæ correctrices ab homine latæ non fuissent. At quod hoc fiat dependenter à lege humana, vel solum dependenter à lege naturali, non alterat opus ipsum. Ergo illud semper erit idem eodem modo factum, dummodò semper fiat ex æquo & bono. Ergo semper erit Epikia. Ergo sicut non est absurdum, quod una lex sit alterius correctio, aut alterius correctionem præscribat; ita non est absurdum, quod una sit alterius Epikia, aut eam præscribat, quia Epikia non est nisi correctio legis ex æquo & bono. At talis correctio consistere potest in alia lege, aut per aliam præscribi ac præcipi. Ergo & Epikia. Ergo impertinens est ad Epikiam, quod fiat, vel non fiat ex præscripto legislatoris, qui legem ob universale peccantem tulit. Itaque nil obstat, quod minus lex divina ac naturalis patiatur Epikiam, quia si una corrigat aliam, aut alterius correctionem præscribat, una erit alterius Epikia, vel certe alterius Epikiam præscribet.

13. Cæterum locutio Celladei mihi valde displicet; loquitur enim ita, ac si supponeret, Deum condere leges ob universale peccantes, easque deinde per alias leges corrigere, & has per alias minus universales emendare. At hoc Deo indignum est. Immo evidenter repugnat, legem Dei ullatenus exorbitare posse, si sumatur ut lex est. Verum Celladeus ad hæc dicenda adductus est, quia non distinguit inter legem, ut est lex se tenens ex parte legislatoris, & inter legem, prout promulgatur, & applicatur nobis. Distinguat hæc, & congruè loquetur, videbitque argumenta sua nil valere.

Obiectio 2. 14. Obijcit secundò. Nulla lex naturalis, quæ versatur circa probabilia, in quibus potest intervenire defectus, est universalis; quia in talibus nulla est propositio universalis nisi ex ignorantia. Omnis enim propositio rectè universalis est falsa, & erronea. Natura autem nec ignorat nec errat, ut patet. Ergo nulla lex, naturalis peccat vel exorbitat; quia ad hoc deberet esse universalis. Ergo nulla lex naturalis patitur Epikiam, seu correctionem; quia ubi non est defectus, seu peccatum, non est locus correctioni. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo 1. doctrinam hujus objectionis R. P. A. Terilli, Regula morum. PARS II.

contrariari de Arinz objectionis primæ, quia ibi Celladei lex divina ponitur esse universalis & corrigenda, contradic- tio. hic autem oppositum traditur. Ergo rationes & fundamenta Celladei sibi contradicunt. Respondeo 2. Hæc omnia confirmant primam, sed non impetunt secundam partem assertionis, cum certò constet, legem Dei à nobis sæpè apprehendi per species nimis universales. Sic uxor, audiens debitum viro reddendum, putat illud semper reddendum esse, & ex vi hujus universalis expressionis putat se obligatam ad reddendum debitum viro, etiam notoriè adultero. Sed errat, & propterea universalis illa legis naturalis expressio limitanda, ac corrigenda est. Verum quidem est, legem divinam, ne quidem, ut à nobis intellectam, quando intelligitur ut restricta cum omni limitatione quam habet in mente Dei, pati ullam correctionem, quia tunc non peccat: sed hoc æquè valet de lege humana, quæ debite restricta non peccat, & consequenter non indiget correctione. Nihilominus sicut hoc non tollit, quod minus lex humana universaliter prolata ac intellecta corrigi debeat, ita neque impedit correctionem legis Divinæ ac naturalis, quando illa per expressionem nimis universalem apprehenditur, & intelligitur.

15. Obijcit tertio. Ad Epikiam requiritur, ut lex positivè peccet, & in malum ducat, nisi emendetur. At lex Dei nec peccat, nec in malum ducit. Ergo nec admittit Epikiam. Ita Celladeus.

Respondeo ut antè, hæc confirmare quidem primam, sed non impetere secundam partem assertionis; quia quamvis lex Divina, prout est in mente Dei, non peccet, nec ad malum ducat, attamen eadem ut à nobis intellecta aliquando ducit ad malum, nisi corrigatur, ut videre est in exemplis à S. Thoma allatis, & aliis non paucis. Cæterum ad Epikiam non est necesse, legem non correctam ad malum ducere, ut ex dicendis mox constabit.

ASSERTIO III.

Epikia locum habet non solum quando tenemur, sed etiam quando non tenemur contra verba legis facere.

16. **P**ROBATUR assertio, quæ est contra Celladeum. Epikia intervenit, quoties lex, ob universale peccans, ex æquo & bono corrigitur. At hoc intervenit, etiam quando non tenemur legem corrigere, & contra verba legis facere. Sic lex reddendi debitum conjugale generaliter intellecta, ex æquo & bono corrigi potest, & declarari quod non extendatur ad reddendum debitum marito notoriè adultero, quia non est æquum, quod uxor teneatur debitum reddere consorti, qui notoriè fidem conjugalem violavit. Et tamen potest uxor debitum reddere, & pro arbitrato facere juxta vel contra verba legis de reddendo debito conjugali. Idem videre est in legibus ac mandatis humanis. Præcipiat superior suo subdito iter facturo, ne quidquam emat, nec pecuniam expendat, nisi in res itineri necessarias. Contingat autem subditum incidere in librum exiguo sibi pretio oblatum, quem novit suum superiorem diu frustra quævisisse, & magno etiam pretio emere desiderare, eò quod libro illo ad pecularia sua studia magnoperè indigeat, omnesque etiam ejus subditi ejusdem libri

Epikia locum habet, etiam quando non tenemur facere contra verba legis.

R. defi-

desiderio teneantur, quibus etiam superior gratificari cupiat. In hoc casu, subditus ille ex æquo & bono corrigere potest defectum mandati sua universalitate exorbitantis; quia æquum & bonum est ut corrigatur: imò idipsum est juxta voluntatem superioris, qui si adesset, idipsum veller; & si scivisset, mandatum adjecisset. Hæc autem sunt argumenta, quibus cognoscimus legem ex æquo & bono corrigendam esse. Præterea, ut clarius appareat, mandatum hoc exorbitare ab æquo & bono, attendendum est, superiorem intuitu communis boni prohibuisse subdito, ne quidquam emeret. At hæc & nunc mandatum opponitur bono communi, ideoque exorbitat & peccat contra id, quod superior intendebat. Ergo æquum est ut corrigatur à subdito, qui certò novit hanc exorbitantiam, quique clarè videt, quod superior, si adesset, oppositum statuisset, & si scivisset præsentem circumstantiam oppositum in mandatis dedisset, idque intuitu boni communis, ad quod potissimum in suo mandato respiciebat. Ergo in hoc casu datur locus Epiikie, seu correctioni mandati, cum æquum sit & conveniens, ut qua parte deficit contra intentionem mandantis, emendetur & corrigatur. Ergo subditus in hoc casu per Epiikiam emere potest talem librum; sed ad hoc non tenetur, cum citra peccatum possit talem emptionem evitare. Ergo tam in lege divina quam humana datur locus Epiikie ad faciendum contra verba legis, etsi licitum sit verbis legis inhærere, &c. quod erat probandum.

Lex peccat non solum quando ini qua, sed etiam quando iniquè præcipit.

17. Ratio à priori est, quam affert Suarez *lib. 6. de legib. cap. 7.* Intentio legislatoris est non solum recta, sed etiam rectè præcipere. Ergo qui servat legem, tanquam illi obnoxius, quando verè non obligatur propter occurrentem causam excusantem, ab intentione legislatoris discepat, etiam si actus, quem facit, non sit malus. Nec obstat, Epiikiam esse partem justitiæ; quia hæc etiam ex parte legislatoris intervenit justitia, exigens ne subditus in eo casu obligetur. Undè si ad legislatorem fieret recursus, juxta justitiam deberet interpretari suam legem & dicere, eam non obligare. Itaque Epiikia non solum locum habet, quando res iniqua præcipitur, sed quando res nimis acerba & difficilis præcipitur, quia lex in utroque casu peccat; in primo præcipiendo iniqua, in secundo iniquè, & inhumanè, seu immoderatè, aut etiam ultra potestatem legislatoris præcipiendo, quamvis res præcepta non sit mala. Ergo in utroque hoc casu prudentiæ, ac justitiæ est, ut lex exorbitans per æquum & justum corrigatur. Jam præter hos duos casus, in quibus lex universaliter accepta est injusta & correctione indiget, est alius casus, in quo datur locus Epiikie, quando lex universaliter accepta non est injusta: tunc scilicet, quando etsi datur potestas in legislatore ad obligandum in aliquo casu, tamen ex circumstantiis ab illo non præmissis constat, hanc ejus mentem non fuisse. Hic modus videtur ab Aristotele expressus, cum dixit, Epiikiam emendare legem, quod & ipse legislator, si adesset, hoc modo dixisset, id est, hoc modo suam mentem explicasset. Sic etiam S. Thomas dixit, munus Epiikie esse, prætermisissis verbis legis, intentionem legislatoris sequi. Ergo ad Epiikiam non est necesse interpretari casum non cõprehendi sub lege, quia legislator non potuit eum sua lege comprehendere; sed sufficit, si interpretetur, eum noluisse illum comprehendere, licet potuerit. Nec mirum,

quia sæpè contingit aliam esse legislatoris voluntatem ab ea, quam nuda verba præ se ferunt. Ergo ibi etiam intervenit emendatio legis, quia illa plus verbis comprehendit, quam legislator sua voluntate complectitur. Æquum ergo est & justum, ac prorsus prudens, ut hæc etiam viâ legem interpretetur; & corrigamus. Itaque triplex est causa seu ratio utendi Epiikia. Prima, ad cavendum malum & iniquum, sub verbis legis comprehensum. Secunda, ad vitandam acerbam, inhumanam, & injustam obligationem. Tertia, propter cognitam legislatoris voluntatem, non obstante potestate illud jubendi, quod omittitur. Qui plura volet, legat Suarium loco citato.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

18. **O**BJECIT PRIMÒ. Ad Epiikiam requiritur, ut lex positive peccet, & consequenter ducat ad malum, nisi emendetur. Hoc colligitur ex Aristotele, qui diversis verbis dicit Epiikiam ordinari ad corrigendam legem, qua parte peccat, & deficit. Similiter S. Thomas dicit, malum esse sequi legem in casibus à se allatis, aliisque similibus; bonum autem, prætermisissis verbis legis, sequi quod dicitur justitiæ ratio, & communis utilitas; & ad hoc, inquit, ordinatur Epiikia, scilicet ad vitandum malum, & faciendum bonum. At quando non tenetur corrigere legem, lex non peccat, nec ducit ad malum; neque malum est sequi legem, ut constat ex suppositione. Ergo quando non tenetur corrigere legem, non datur locus Epiikie. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo Philosophum, ut evidenter patet ex contextu, nomine peccati non intelligere peccatum morale proprie dictum, sed solum defectum & errorem, quod est universale ad peccatum morale, & quodvis aliud malum & inconveniens physicum. Porrò quoties lex ob universale exorbitat ab æquo & bono, toties æquum est ut corrigatur; sive universalitas illa ducat ad malum morale, sive solum ad malum physicum, bono communi, & intentioni legislatoris contrarium. Jam in utroque casu, juxta phrasim Philosophi, datur Epiikia; sed usus illius non est necessarius nisi in primo casu. Et sanè ipse terminus Epiikie, seu æquum & bonum, non indicat necessarium, sed solum decens, conveniens, seu consentaneum. Ergo absurdum est existimare, quòd semper afferat absolutam necessitatem, cum ex vi sua solum significet congruentiam, decentiam, seu convenientiam. Similiter S. Thomas, Philosophum hac in re sequutus, nomine mali solum intelligit defectum, cum formalis ratio mali generaliter sumpta in defectu consistat. Nec obstat, quòd in exemplis ab illo allatis peccaret, qui verba legis servaret; quia exinde non sequitur, quòd in omni alio casu peccaret, sed solum quòd à decenti, & consentaneo, ac à bono communi deficeret. Cæterum dici potest, quòd correctio legis semper sit necessaria in omni casu, in quo Epiikia locum habet, etiam in illis casibus, quos ego assignavi; quia stultum est, & demerere existimare, quòd uxor teneatur debitum reddere marito notoriè adultero, aut quòd subditus teneatur librum non emere in illis circumstantiis stultè ergo ageret, & peccaret, qui legem non corrigeret, sed eam in sua universalitate tanquam legem ad eas circumstantias extensam acciperet. Porrò Epiikia in hac præcisè correctione consistit;

sistit; illa autem necessaria est saltem quoad operationem intellectus, ne stultè & contra prudentiam agnoscamus obligationem, ubi illa certò non est, quamvis non sit necessaria quoad usum voluntatis, eò quòd, qui per Epiikiam novit se liberum à lege, sequè libertatem suam possidere, possit nihilominus ea facere, quæ verba legis præscribunt, non ex vi legis, quæ scitur vim non habere, sed ex propria potestate, qua homo sæpè ea licitè facit, ad quorum contraria agenda jus habet. Non enim semper homo tenetur uti jure suo, ut patet.

Objectio 2. 19. Objicit secundò, Epiikia est quædam justitia, & est virtus, & laudatur, & est necessaria. Ergò strictè obligat ad faciendum contra verba legis, quæ si servari possint sine culpa, nec justum, nec virtus specialis, nec necessarium esset ea omittere. Ita Celladeus §. 2.

Respondet Epiikiam, sumptam pro objecto, esse justum quoddam, & quidem præcipuum: in hoc autem sensu non est virtus specialis, sed spectat ad varias virtutes pro qualitate materiæ, & motivorum, ut dictum est. At Epiikia, prout est judicium intellectus, est virtus particularis, & spectat ad prudentiam, per quam homo disponitur ad corrigendam legem, quando lex exorbitat ob universale. Itaque totum munus Epiikæ, prout est virtus intellectus, est corrigere legem peccantem, quod abundè præstat manifestando, quòd non obliget, eò quòd indecens, iniquum, & inconsistentium foret hominem tunc obligari ad verba legis. Qui autem contrarium crederet, aut doceret, careret virtute Epiikæ. Jam Prudentiam

Epiikia est virtus specialis, & ad rationem determinat ad istam interpretationem, Prudentiam seu correctionem, quam prout per seipsam inducit, quæque abesse non potest, nisi per stultitiam, seu carentiam Epiikæ. Porò Epiikia aliam necessitatem vel obligationem per se non inducit; sed si post Epiikiam obligemur aliquando agere contra verba legis, ea obligatio spectat ad voluntatem, & est multiplex juxta varietatem motivi & materiæ circa quam operamur, ut dictum est. Cæterum ex nozione virtutis, justis, ac laudabilibus, perperam infertur necessitas, quia multa sunt laudabilia, ad virtutem spectantia, & legaliter justa, quæ sicut laudabiliter fieri, ita licitè omitti possunt, ut dare elemosynam, aliæque innumera; non enim virtutis est semper necessitatem inducere, ut patet. Unde Epiikia in se nullam inducit necessitatem faciendi contra verba legis, sed solum necessariò ostendit, quòd lex non extendatur ad talem casum, quia non est æquum, & bonum, quod ad illum obliget. Hoc autem stante, aliquando non est necesse facere contra verba legis. Verum hoc non aliter contingit post legem correctam, quam contigisset, si nulla lex lata fuisset. Sit lex humana præscribens redditionem depositi. Dico, me non aliter obligari ad non reddendum depositum, quando Epiikia corrigit hanc legem in casu allato à S. Thoma, quam fuisset, si lex illa humana lata non fuisset; ex æquo enim in tali casu depositum non est reddendum. Itaque obligatio oritur ex rebas ipsis, non ab Epiikia; Epiikia enim solum dicit, æquum non esse, quod lex obliget: & ad hoc solum est utilis, & necessaria. At hoc posito, obligatio faciendi contra verba legis, vel permissio faciendi juxta illa aliundè provenit; ad quod si Celladeus advertisset, fortasse aliter judicasset.

Objectio 3. 20. Objicies tertio. Quando pars legis est turp. P. A. Terilli, Regula Morum. Pars II.

ta, id est, quando facere juxta verba legis non est peccatum, lex non peccat, quia sine peccato impleri potest. Ergò nisi sit peccatum facere juxta verba legis, nullus est locus Epiikæ. Ita Celladeus §. 3.

Respondet legem sæpè exorbitare ab æquo & peccare, etiam quando non est peccatum facere contra verba legis; scilicet tunc, quando legislator acerbè, & inhumaniter excedit suam potestatem; aut etiam quando non est æquum hominem obligari ad verba legis, eò quòd obligari ad illud sit contra bonum commune, & intentionem legislatoris, quamvis non sit absolute malum facere juxta verba legis justas ob causas. Porò in istis casibus lex peccat, quia universalis illa obligatio, si extenderetur etiam ad istas circumstantias, peccaret; esset enim malum contra bonum, & contra voluntatem legis, & idè lex illa corrigenda est per Epiikiam, quæ ex æquo, & bono pronunciat, legem ad hunc casum non extendi.

Lex peccat etiam facere juxta verba legis non sit peccatum.

COROLLARIA.

21. Hinc infertur, Celladeum plura falsa in hac materia enuntiasse. Inprimis laudat errorem, dicit nullum esse locum Epiikæ, quando seculi verba legis est turp, seu minime peccaminosum. Hujus asserti falsitas constat ex dictis. Error 1.

22. Secundò contendit, tunc solum Epiikiam loquum habere; quando leges contradicentes sibi occurrunt, quia Epiikia est ad vitandum peccatum legis. Imminet ergò peccatum, si juxta legem fiat. Ergò est obligatio & lex aliqua non sectandi verba legis, quia sine lege & obligatione nullus est locus peccato. Error 2.

23. Verum hic Celladei discursus omni ex parte mancus est. Inprimis, supponit dari leges sibi contradicentes, quod est Chymaricum, quia nec Deus, nec respublica obligat ad contradictoria: inò tam repugnat nos ad contradictoria obligari, quam repugnat illud peccatum esse quod nulla ratione à nobis vitari potest. At contradictoria evitari nequeunt. Ergò nulla ad ea evitanda esse potest obligatio. Itaque leges verè contradictoriæ nunquam sibi occurrunt; sed ad summum aliquandò reperiantur leges, quæ apparenter & verbaliter contradicunt. Cæterum falsum est, quòd istæ debeant necessariò intervenire, quando utimur Epiikia, quippe quæ per hoc solum præcisè corrigit leges, quòd ostendat obligationem ad hanc circumstantiam non extendi, eò quòd lex deficeret, seu peccaret contra æquum & bonum, si ad illam extenderetur. Itaque peccatum legis non in eo solum consistit, ut falsò sibi persuasit Celladeus, quòd præcipere videatur rem malam, sed in eo, quòd videatur obligare ad id, ad quod obligari non est æquum, quamvis illud facere sponte & non ex obligatione non sit malum. Itaque lex evidenter potest corrigi, etsi nullum immineat peccatum ex operatione à lege præscripta.

Leges sibi contradicentes.

24. Tertio tradit, quòd regula de sectanda parte tutiori & Epiikia sese communiunt, eò quòd nonquam liceat quicquam ex Epiikia facere, nisi quando id tutius est, & oppositum minus tutum. Hæc doctrina ritè sequitur ex prioribus ejus assertis, sed eadem rationes, quæ probant illas esse falsas, hanc etiam falsitatis convincunt. Error 3.

25. Quarto vult, exemplum S. Thomæ de non

non reddendo deposito non esse effectum Epikiaz, prout restitutio depositi præcipitur à lege naturali, sed solum prout jubetur à lege humana. Verùm hoc & falsum est, & dicitur inconsequenter. Est falsum, si sermo sit de lege naturali ac divina, prout illa à nobis apprehenditur; ut ostensum est. Dicitur etiam inconsequenter, quia cum utraque lex eisdem verbis explicetur, & utraque, prout à nobis apprehenditur, ad eadem prorsus extendatur, atque per similem conceptum intinetur, impossibile est, quòd una exorbitet propter universale, & altera non exorbitet. Ergò utraque ex æquo deficit. Ergò utraque ex æquo per Epikiam corrigenda est.

Celladei in-
consequen-
tia.

ASSERTIO IV.

Sæpe datur locus Epikiaz ex titulo difficultatis, per accidens occurrentis in observatione legis.

Difficultas
per accidens
intercurrentis
in observa-
tione legis
sæpe fundat
Epikiam.

26. **P**ROBATUR. Sæpe difficultas interveniens tanta est, ut certum sit, aut potentiam, aut intentionem legislatoris ad eum casum extensam non fuisse. Impotentia legislatoris variis modis innotescere potest. Voluntas ejus ex eo sæpe scitur, quòd non sit æquum & bonum homines ad tam ardua ab hominibus obligari. Talis enim obligatio acerba, & inhumana est, pacique ac bono publico repugnat. Præterea ex similibus principiis scitur, quòd si legislator adesset, diceret, se nolle hominem ad talia obligare, sed potius juberet oppositum, si opus esset tali præcepto. Hinc sic arguo. Hæc scientia, seu hæc doctrina est formalissima Epikia; quia est ipsamet correctio legis deficientis ob universale. At sit præcisè titulo difficultatis per accidens intercurrentis, & eorum, quæ ex tali difficultate, ac incommodo consequuntur. Porro difficultas & incommodum sæpe eòsque excresecunt, ut correctionem hanc certam faciant. Ergò sæpe datur locus Epikiaz ex titulo difficultatis, per accidens intercurrentis in observatione legis. Et sanè nulla rationabilis explicatio Epikiaz, ex Aristotele & D. Thoma accepta, fingi potest, quæ sæpe non habeat locum in terminis assertionis; quia certum est, quòd prudens lex humana ab æquo deficeret, si ad tales casus extenderetur. Similiter scitur, quòd legislator, si ad hunc casum attendisset, aliter loquutus fuisset, illumque aut explicitè, aut implicitè excepisset. Præterea, si adesset, oppositum diceret. Demum si interrogetur quis, unde certò sciat, legem ad hunc casum non extendi: aliud non potest respondere, quàm aliquid eorum, quæ jam indicata sunt, scilicet quòd esset lex nimis ardua, & consequenter ab æquo exorbitaret, vel quòd voluntas legislatoris, semper tendens ad bonum commune, tales casus non involveret. At certum est ex Aristotele, & S. Thoma, quòd Epikia aliud non sit, quàm correctio & limitatio legis nimis universalis, ex istiusmodi capitibus ritè illata & declarata.

Corollarium 1.

27. Hinc inferitur primò, verissimum esse, quòd ab initio quæstionis diximus, quæstionem præsentem de Epikia esse connexam cum præcedenti, atque ex illa magna ex parte stabiliri.

Corollarium 2.

28. Inferitur 2. Celladeum in hoc etiam errasse, quòd asserat, Epikiam nunquam ex solo titulo difficultatis & incomodi intervenientis ex-

furgere. Sed contra: quia perspicuum est, nec minem obligari ad Missam audiendam, quando, si hic & nunc illam audiat, perditurus est occasum, quàm si arripuisset, infallibiliter lucratus fuisset decem millia aureorum. Porò excusatio ista non reducitur ad alium titulum quàm ad primum incommodum; non enim peccaret, si huiusmodi se exponeret, sed actum longè generosissimum virtutis heroicæ exerceret. Ergò Epikia Colaba verba legis; sed in eo, quòd malum sit sequi ista non fundatur in eo, quòd non sit æquum homines ad tam ardua obligari, quòdque conferret, voluntatem legislatoris ad istum casum non extendi.

ASSERTIO V.

Dubium de malo, ex observatione legis iuxta litteram sumptæ sequuntur, aliquando fundat, aliquando non fundat Epikiam. Prepositum autem sit exponere quando hoc contingat.

29. **P**ROBATUR. Aliquando observatio legis ad litteram est, aliquando non est. Pars minus tuta. Est pars minus tuta, quando observatio legis ad litteram est peccatum; sic fructus esset peccatum restituere enses furibundo, quem sciremus paratum ad alios ense interficiendos, &c. Non est pars minus tuta, quando sine omni peccati periculo lex ad litteram observari potest. Jam quando dubium est, an sequi legem sit peccatum, videndum est, an malum, quod ex legis observatione imminet, excedat malum ex non observatione legis oriturum. Si excedat, ut in exemplo allato, aliisque non paucis evenit, tunc locus datur Epikiaz; quia est contra æquum, communiq; bono ac legislatoris intentioni repugnat, quòd homo ex duobus malis collectivè inevitabilibus teneatur ad eligendum majus. Ergò Epikia dicitur, legem in hac parte deficere, & ob nimiam universalitatem debere corrigi. Verùm in hoc casu peccatum legis non est dubium sed certum, quamvis dubium sit, an malum illud majus sit eventurum: quòd observandum est contra Celladeum, qui licet in hac parte bene sentiat, malè tamen loquitur, quia supponit sermo-nem esse, quando dubitatur de peccato legis. Verùm, cum bona ejus venia, de hoc non dubitatur, cum certò sciamus, legem jubentem majus malum dubium, quàm sit non observatio talis legis, deficere à natura legis rectæ, ac justæ, quæ veram secum obligationem trahit. Quod si dubium esset, utrum lex deficeret, id est, si nulla esset ratio magis dicendi quòd deficeret, quàm quòd non deficeret, nulla utique esse posset Epikia, quippe quæ est correctio legis errantis, & ob nimiam universalitatem peccantis. At hic nulla esset ratio, quæ hoc diceret, ergò nulla esset Epikia.

30. Atque hinc secunda pars conclusionis evincitur; quia quando observatio legis ex se est licita, si constat æquum non esse ad illam obligari, datur locus Epikiaz; quia per hoc ipsum constat legem peccare, ut ostensum est. At si dubium sit, an expediat subditos ad illam observationem obligari, nulla potest esse Epikia, quia cum nil mali aut inconsistenti sequatur ex obedientia, & certum sit legem latam esse, utique tum obediendum est, quia nulla est exceptio æquivalens auctoritati atque possessioni jubentis per

per legem certò latam, quam subditus exorbitantiae accusare non potest. Exemplum sume à subdito, cui superior mandavit, ne quidquam pecuniae in rebus emendis consumat; hic non potest per Epiikiam hoc mandatum corrigere, si dubitet, an sit juxta bonum commune & intentionem superioris, quòd librum emat: quia motivum sic dubitandi non est sufficiens ad corrigendam jussionem superioris, utpote quæ in nullo probatur deficere. Stat ergò conclusio, quòd nempe dubium de malo sequuturo ex observatone legis aliquando fundet, aliquando non fundet Epiikiam.

31. Porro ex dictis constat, quando uterque casus conclusionis contingit. Tum enim malum dubiè imminens fundat Epiikiam, quando illius periculum ostendit æquum non esse, ut lex ad illud etiam dubiè propositum extendatur, quia Epiikia in hoc ipso judicio consistit. At quando malum, de quo dubitatur, hoc non arguit, utique nullus datur locus Epiikiae, ut patet.

ASSERTIO VI.

Probabilis correctio legis an, & quando sit sufficiens regula conscientiae?
Correctio legis seu Epiikia, quando non est certa sed solum probabilis, non est sufficiens regula conscientiae, si superior consuli possit, & res moram patiat, secus est sufficiens regula.

32. **P**ROBATUR prima pars primò ex legibus, in quibus statuitur, quòd ejusdem sit legem condere, & interpretari. *leg. inter. Cod. de leg. ubi hæc habentur. Inter aquitatem jusque, interpositam interpretationem nobis solum & oportet, & licet inspicere.* Ecce Imperator sibi reservat interpretationem suæ legis, scilicet in casu conclusionis, quia cujusvis est eam corrigere, quando defectus legis est certus, & evidens. Ad idem probandum facit etiam *lex Placuit. Cod. de iudicis.*

Quando superior consuli potest, & ubi est locus Epiikiae pro regula conscientiae?
 33. Probatur 2. ratione. Omnes tenemur operari ex certitudine, quando certitudo haberi potest. At quando superior consuli potest, certitudo haberi potest. Ergò ante illam non licet contra verba legis operari. Ergò quamvis tunc liceat interpretari legem specularivè, & probabiliter dicere, quòd sit corrigenda, non tamen possumus eam interpretationem pro regula conscientiae adhibere; quia hæc & nunc non est certè probabile, quòd absque recurso ad superiorem liceat contra verba legis facere. Videatur *Suarez lib. 6. de leg. cap. 8.* ubi hoc ipsum egregiè probat. Legatur etiam *Brasserus.*

34. Probatur 2. pars. Quando res non patitur moram, aut superior consuli non potest, tunc iudicium illud speculative fundat aliud practicum, quo conscientia prudenter regulatur, quia veritas scitur opinio modo, quo sciri potest à nobis, nempe probabiliter. At in tali casu irreprehensibiliter, & rationabiliter operatur, qui sequitur veritatem, quam non potest certius, aut melius cognoscere, quam de facto cognoscit. Ergò in tali casu Epiikia probabilis est sufficiens regula conscientiae.

35. Confirmatur. In tali casu probabile est, quòd lex non detur, nec superest modus certius cognoscendi veritatem. Ergò lex illa vel non existit, vel certè non est sufficienter promulgata, & applicata. Ergò non obligat. Et sanè si lex dubia non obligat, multò minus lex probabiliter non existens obligationem inducit.

R. P. A. Terilli, Regula Morum. PARS. II.

36. Nec dicas, legem existere, ejusque verba casum istum complecti. Nam contra, quia verba legis non sunt nisi cadaver legis, cujus anima est sola voluntas legislatoris, sine qua verba nullam obligandi vim habent. Ergò si probabile sit, voluntatem legislatoris abesse, utique probabile est, legem obligantem non existere. Unde rectè infertur, quòd aut non detur talis lex, aut quòd non sit sufficienter promulgata, seu applicata, ut obliget.

37. Demum, si hæc probabilitas in casu allato non sufficeret, nulla unquam sufficeret; quia non est potior ratio de ulla alia quam de ista. Ergò hæc sufficit. Et hæc est communissima opinio. Vide *Suarium loc. cit.*

ASSERTIO VII.

Licentia merè interpretativa, qua non infrequenter sufficit ad conscientiam debite formandam, non est Epiikia propriè dicta, licet aliquo modo dici etiam possit Epiikia.

Licentia interpretativa non est Epiikia propriè dicta.

38. **P**ROBATUR. Licentia merè interpretativa non est correctio legis, aut mandati, quippe quòd in nullo peccaret, etsi ad illum ipsum casum extenderetur; sed est interpretativa dispensatio & concessio superioris, qui tamen absque ullo defectu vel reprehensione posset talem facultatem denegare, quamvis à subdito peteretur. Ergò talis licentia non est propriè Epiikia, utpote quæ aliud non est, quam legis vel mandati peccantis emendatio, & correctio. Nihilominus sæpe interpretari possumus voluntatem superioris absentis, quando non solum probabile est, quòd contentus sit, ut aliquid fiat contra regulam, vel præscriptionem ipsius, sed etiam est probabile, quòd contentus sit id fieri hæc & nunc ex præsumpta dispensatione, ac voluntate ipsius. Cæterum æquitas & obedientia postulat, ut superior postea de re gesta certior fiat, & ut subditus rescindat factum, si rescindi possit, & superior illud rescindi voluerit, quòd benè notatum est à Celladeo § 3. qui quoad priorem partem assertionis nobiscum sentit: sed quoad secundam aut dissentit, aut certè nullatenus ostendit se assentire.

39. Probatur ergò secunda pars ex S. Thoma 2. 2. *quæst. 120. art. 2.* In quo postquam objecisset sibi, quòd Epiikia videretur esse idem ac modestia, eò quòd ubi Apostolus ad *Philip. 4.* dicit, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus,* in Græco habeatur Epiikia; respondet, quòd terminus Epiikia propriè quidem significet moderationem circa observantiam verborum legis, ob universale peccantis, ut dixerat in Corpore, possit tamen, juxta phrasim Græcam, per quandam similitudinem extendi ad significandas omnes moderationes, & consequenter etiam modestiam, quæ moderatur exteriorem hominis vitam, & cultum, puta in habitu, incessu, motu, &c. Ergò multò magis ostendi potest ad significandam moderationem legum ex interpretativa dispensatione superiorum; quia hæc longè magis accedit ad rigorosam Epiikiam, quam modestia, aut moderationes aliz, quæ circa leges & mandata non versantur. Itaque licentia merè interpretativa aliquo modo, & quidem non impropriè, dici potest Epiikia, & satis communiter sic vocatur; quæ locutio non rigide reprehendenda est, quia reprehensionem non meretur; sed benignè

Interpretativa licentia non omnino impropriè dicitur Epiikia.

R 3 inter-

interpretanda, cum non violentam, sed commodam interpretationem admittat.

Judicium 40. Caterum si probabile esset, quod lex, aut probabile, voluntas legislatoris ad talem casum non extendatur, tunc locus esset Epikia juxta *Affertio-* ad aliquid, nem 6. quia tunc verba legis probabiliter exorbitarent a voluntate legislatoris, & consequenter

corrigi ac restringi possent per judicium probabile. Sed non loquimur de hoc casu in presentia assertione, sed solum de interpretativa dispensatione circa legem, quae sicut comprehendere solemus, quem ex interpretativa dispensatione omit-

QUAESTIO SEXAGESIMA.

Vtrum, & quantum malum sit ignorantia,
& error?

Aliquae
quaestiones
secundae
Partis Cel-
ladei sumun-
tur exami-
nanda.

PRIMA de recta doctrina morum partem, quam quatuor libris comprehensam Celladeus nobis exhibuit, una cum aliquot quaestionibus in appendicem conjecis, hactenus examinavi, & ni fallor, perspicue ostendi, Auctorem illum per omnia invalide contra benignam sententiam egisse. Eisdem enim aequivocationes detexi, contradictiones & inconsequentias notavi, praetensarum demonstrationum sophismata aperui, nilque eorum, quae ad plenam objectorum refutationem, atque ad efficacem benignae sententiae stabilimentum facere videbantur, omisi. Nec tamen hic scribendi finem facio, nonnullae enim quaestiones ex secunda de recta doctrina morum parte, quam idem Auctor in sex libros digessit, ad manus meas pervenerunt. Has autem vel ideo una cum prioribus examinandas judicavi, quod Celladeus plurimum roboris in illis ponat, doctrinamque de licito probabilitum usu per illa funditus convelli, omniaque aut potissima Part. 1. asserta ex eisdem valide confirmari existimat. Verum quam inania ejus tela, quamque invalido brachio in nos contorta sint, paulatim ostendam, si tamen antea universim admonuero, quod in decursu disputationis singillatim ostensurus sum, argumenta omnia, quae vim facere videntur, in apertis aequivocationibus, ac terminorum confusionibus fundari, quibus detectis, sponte labuntur universa.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare, quid sit ignorantia
& error, de quorum mali magnitudine
quaestionem praesentem instituumus.

Ignorantiae
definitio.

IGNORANTIA, latissime sumpta, idem importat ac nescientiam intellectus, seu carentiam cognitionis rei alicujus. Hujusmodi ignorantia omnibus creaturis rationalibus inest, etiam spiritibus illis, qui beatitudinem adepti Deo fruuntur, & beatissimi sunt, ideoque & ab omni malo simpliciter dicto remotissimi. Nemo enim ex omnibus est, qui omnia etiam possibilia novit, sed plurima singulos latent; qui proinde talium rerum ignorantiam late dictam habent. In praesenti quaestione non loquimur in hac universalitate, sed nomen ignorantiae pressius sumi-

mus pro carentia cognitionis earum rerum, quarum sciendarum quis intellectus juxta statum suum est capax; quia sola carentia talis cognitionis est privatio respectu talis subjecti, ut patet. Reliquarum cognitionum carentia potius comparatur ut pura negatio, quam ut privatio, quia subjectum illis carens non est aptum illas recipere, cum excedant facultatem illi concessam. Ignorantia ergo strictè sumpta est nescientia, seu privatio cognitionis earum rerum, quarum sciendarum homo est capax juxta statum, in quo constituitur; unicuique enim intellectui Deus terminos constituit, ultra quos ferri non potest. Porro ex rebus, quarum cognoscendarum capaces sumus, alias scire jubemur, alias nosse consulimur, & de aliis permisum est ut illarum notitiam nobis comparemus, aut citra ullum detrimentum finis adipiscendi in illarum ignorantia maneamus. Prima classis illa complectitur, quarum notitia necessaria est ad vitam aeternam. Porro ex illis alia sunt necessaria necessitate medii, ut, si ignorentur, beatitudo acquiri non possit, sed aeterna miseria necessario incurritur. Alia sunt necessaria solum necessitate praeccepti, quorum scilicet ignorantia, si sit invincibilis, finis ultimi adaptionem non impedit. Res secundae classis sunt majoris perfectionis, & juvant ad beatitudinem facilius acquirendam; sed ad illam simpliciter obtinendam necessaria non sunt, quamvis necessaria sint ad altiorem beatitudinis gradum consequendum. Res tertiae classis sunt indifferentes, quarum proinde ignorantia per se loquendo nec prodest nec obest in ordine ad finem ultimum, aut amplum beatitudinis augmentum acquirendum.

3. Porro studiositatis est ad ea scienda incubere, quae in prima & secunda classe continentur, sicut est negligentiae in illis addiscendis torpere. In rebus tertiae classis cognoscendis nimium insudare, cum detrimento scientiae ad salutem necessariae aut valde proficuae, curiositati tribuitur, ut ex S. Thom. 2. 2. bene observat Celladeus *quaest. 1. §. 1.* ubi, ut homines ad negligentiam & curiositatem vitandam excitet, citat S. Paulum hortantem, ne plus sapiamus quam oportet sapere, sed sapiamus ad sobrietatem. Rectè etiam ponderat illud *Ecclesiastici 3.* *Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne servitatus fueris, sed quae praecipit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium ea, quae abscondita sunt, videre oculis tuis.*